

VII, 17.

2.602.

3.
4.
5.
6.



4

Syntagma Historicum

DE

GUNTHERO SCHWARTZBURG.

ROMAN. REGE seu IMPERATORE

Cognom.

OPTIMO

adeoq; SCIPIONE GERMANORUM inclyto;

Collectum & editum

Ab

H. H. V. E. *ylbar*



WETZLARIAE

Typis GEORGII ERNESTI WINCKLERI.

Anno M. DC. XCV.



Symonis Historiam

DE

ANTIQUISSIMAE

EXCELSÆ ET ILLUSTRISSIMÆ

DOMUI

SCHWARTZ

BURGICÆ

H. H. N. E.
SACRUM.



WETTINARIA

THE GEORGE FORTU WINGELER

1688



Cuspinianus de Caesar. atque Impp. Rom.

pag. 451. edit. Basil.

GUNTHERUS COMES DE
SCHWARCENBURG, REX ROMANORUM

Electus, comperitor Caroli Quarti
Bohemi.



Dures fuisse, qui in Caroli odium fuerant ad imperium vocati, superius annotayimus. Nam & Edouardus Anglorum rex, & Fridericus Marchio Misnensis, & Ludovicus Marchio Brandenburgensis, sæpissimè citati, assumere illud recusarunt. Guntherus autem de Schwarzenberg, seu de Nigro monte, Thuringiæ comes, vir robustus, strenuus, & qui bello plurimum valebat, præclaraque multa gessit sub Ludovico Imperatore: Henrici Moguntini antistitis olim familiaris, in conflictibus multis victor gloriosus, atque ex iis haud parum ditatus, annos natus quadraginta quinque, à Principibus electoribus Carolo contrariis, diu multumque sollicitatus ut imperium assumat, crebrò recusavit, Tandem iis conditionibus annuit, si Principes imperii in Francofurt per sententiam decernerent, vacare imperium, Majorque pars conueniret, qui se jus eligendi habere

A

bere



bere affererent. Sese paratum esse, amore Dei immortalis pericula quæque pro imperio subire, ut tyrannis & servitute imperium liberaret. Noluit autem per simoniam ac largitiones quicquam facere. Congregatis igitur principibus in campis Francofordiæ, conuenerunt Henricus de Virnburg archipræsul Moguntinus, Ludovicus Marchio Brandeburgensis, Rodolphus dux Bavarix Palatinus Rheni consenriente fratre suo Ruperto, & capto tum Roberto fratruale eorum, & Ericus dux Saxonix, cui etiam jus eligendi competebat tanquam filio fratris Senioris Rodulphi ducis Saxonix qui Carolum elegerat, unanimi consensu Guntherum comitem de Schwarzenberg regem Romanum eligunt die purificationis Mariæ, anno millesimo trecentesimo quadragesimo nono: eundemque regem pronunciant & declarant, præstitis iuramentis ac debito exhibito officio: datis insuper sententiis vacare imperium, majoremque principum electorum partem congregatam esse. Aliqui enim, vel non ausi comparere, latuerunt, vel venire dissimularunt. Electus itaque Guntherus, cum jam Francofordiam introire tanquam Romanorum rex vellet, à civibus est prohibitus. Mos enim est civibus (quam quidem consuetudinem pro lege habent) ut neminem Regem in urbem suam intromittant, cui sit æmulus imperii aut adversarius regni, nisi prius aliquot mensibus urbs obsessa vim patiatur, adversariusque aut æmulus regni interim aut manus cum illo conferat, aut divisioni finem inveniatur: itaque unus fortiter regnet, alter inglorius ac timidus abeat. Guntherus igitur ingenti coacto exercitu, potentissimè urbem obsedit duobus penè mensibus. Dehinc in urbem est regio more acceptus. Carolus hoc audiens, nec tamen aggredi ausus, ad Rhenum se transtulit, Treverensem ac Coloniensem archiepiscopos alloquuturus: Leodiensemque antistitem, & du-

& ducem Brabantiaë pro subsidio invocans, à civitatibus quoque auxilia quærens, in villam Castel è regione Moguntiaë, præscripto die exercitum adesse jubet. Quo die Guntherus rex electus, vel ut potentiam Caroli minimè pertimesceret, vel ut ejus subsidia contemnere videretur, in derisionem militares ludos ac congressiones hastarum concursionesque (torneamentum à nostris dicitur) indixit. Ubi magna conveniens militum ac nobilium multitudo, dies plures non sine ingenti lætitia peregerunt. Cùm igitur viribus nequiret Carolus virum bellicosum ac fortem aggredi, dolo tentavit, ac primum mirabili eum astu circumvenire. Nam Rudulphi Palatini (qui Guntherum elegerat) ut in sui favorem attraheret, unicam filiam in uxorem expeditavit atque duxit. Sed crevit indies potentia Guntheri, quæ Carolum impeditavit ne quid moliretur. Alia itaque ingressus via, Principes Spiram convocat. Hos quoq; adhortatur ut Gunthero scribant, ut ipse quoque veniat, tractatusque fiat quo rixæ istæ ac divisiones sedentur. Venerunt tum Spiram Treverensis, Gerlacus Moguntinus, Comesque de Vuirtemberg cum multis nobilibus ac civitatum imperialium Oratoribus, Guntherum expectantes, cùm in propinquo esset: sed frustra. Nam Frideburg castrum obsedit, & cùm castrenses rebellarent, mox expugnavit atque devicit. In principio itaque Maij Carolus Spiram exiens cum exercitu, petentibus Spirensibus, castrum cui nomen erat nova Curia, funditus dejecit, ac terræ æquavit. Reverso Gunthero in Francofurt leviter cœpit ægro-
tare. Erat tum ibi insignis medicus magister Fridancus, comitibus de Nassau antiqua junctus familiaritate. Qui cum Gunthero potionem, quam mirum in modum & laudavit & expedire asseruit, porrigeret, Guntherus prægustare medicum jussit. Qui etsi invitus faceret, gustavit

tamen, reliquum Guntherus ebibit. Medicus statim faciem mutans in cœlore, in terram prostratus decidit, ac tertio die moritur. Guntherus vomitu quantum potuit venenum ejecit, sed non usquequaque Reliquiæ enim corpus regis inflabant, inutilemque ad arma reddebant tractanda. Ferebatur autem famulus medici, jussu Caroli venenum potioni miscuisse. Nam viribus vir ille insignis & armis, deiici non potuit. Convocavit autem Carolus exercitum in Moguntiam. Moguntini enim in odium Henrici archiepiscopi, qui eos læserat, & Francofordiensium, a quibus rex Carolus abstulerat nundinas, easque Moguntinis tradiderat, Regem supplices orant, ut oppidum Altamuillam ab episcopo super Rheno constructum, deiiciat ac expugnet. Quod Guntherus intelligens, etsi infirmus esset, ac tractandis armis inutilis, se cum gente sua apud Henricum episcopum in Altamuillam reposuit. Transeunte autem Carolo Rhenum, ducenti equites Guntheri cum impetu Carolum in fugam vertunt. Et nisi Vuirtenbergensis comitis equites celeriter subsequuti fuissent, actum erat de Carolo. Quam ob rem Carolus ex iis plures equites, quos vulgò auratos milites dicimus, creavit. Marchio autem Brandeburgensis sine exercitu veniens, pro concordia tractanda, multa cum Carolo, plura etiam cum Gunthero colloquutus est. Qui ambo cum arbitrum constituentes, huiusmodi acceptarunt concordiam: quòd Carolum Guntherus regem salutaret, seque regno abdicaret. Vicissim Carolus Gunthero, suisque hæredibus viginti duo millia marcarum argenti daret in mense proximo, ac duo Thuringiæ oppida imperialia pro vita sua. Guntherus indignatus super huiusmodi concordia, invalidum tum se videns & letaliter ægrum, invitus consensit tandem, multa de perfidia principum Bavarorum conquestus, ac publicè lamen-

lamentatus. Dum ergo hæc summa infra mensem congeritur atque Gunthero offertur, Guntherus sexto mense imperii moritur Francofurt, ac regio apparatu à civibus regioque monumento sepelitur in divi Bartholomæi æde. Quibus mox Carolus coactus est dare viginti millia marcarum argenti, quæ à ludæis extorta sunt, omniaque eorum privilegia confirmare, & ablatas nundinas restituere.

M. Albert. Argentin. Chron. edit. Urstis.
de anno 1670. p. 135. 150. & seqq.

Post hæc provifus Moguntinus Gerlacus de Nassowe, ad villam Rens super Rhenum ad feriam quartam post Margaretæ, sub anno Domini M. CCC. XLVI. volens Apostolico mandato obedire, quantum in eo fuit, ad eligendum Regem, principes convocavit: ubi convenientes Balduinus de Lûzelburg Treverensis, Walderamus de Juliaco Coloniensis, item Gerlacus de Nassowe noviter provifus Moguntinensis, Archiepiscopi, item Rudolfus Dux Saxonix, & Joannes Rex Bohemix, & Imperium diu vacasse decernentes, prædictum Carolum Marchionem Moravix in regem elegerunt Romanum. Pro quo facto, prædicti Coloniensis & Dux Saxonix magnâ pecuniâ sunt corrupti.

Guntherus Comes de Schuartzenburg Thuringix, ætatis circa XLV. annorum, vir robustus, bellicosus, strenuus & prudens in bellis: qui in servitio Heinrici Moguntini & quondam Ludovici Principis plurimum laboravit, quique in pluribus conflictibus feliciter prævalens propriis, capiendo & talliando Barones, plurimum est ditatus, à Principibus, Carolo contrariis, ut se intromitteret de regno, rogatur. Qui primò renuens, tandem eò pacto annuit, si in Franckfurt per Principes & nobiles sententiatum fuerit, vacare Regnum & Imperium, majorque

pars Principum, qui similiter per sententiam declarati fuerint jus habere, ipsum absque omni Simonia elegerint propter Deum, dicens: se expositurum periculis pro Deo & Imperio corpus suum. Hoc facto, cum exercitu suo in campo se posuit juxta Franckfurt, feria sexta post Hilarii, anno M. CCC, XLIX.

Convenientibusque inibi Principibus quatuor, & multis aliis Baronibus, & per sententiam decreto, Imperium vacare, & eisdem quatuor competere jus eligendi: electus est in Purificatione, per Henricum Archiepiscopum Moguntinum, Ludovicum Marchionem de Brandenburg, Rudolfum de Bavaria Palatinum Rheni, annuente Ruperto suo fratre, & capto tum Ruperto fratrueli eorum, & Ericum Ducem Saxoniae in Regem Romanorum. Huic etiam Erico, tanquam filio fratris Senioris Rudolphi Ducis, electoris Caroli, decernebatur jus eligendi habere. Cumque idem Guntherus per sex hebdomadas potenter jacuisset in campis Franckfurt, more Regio per eandem civitatem est receptus. Aliæque civitates Imperii in Wederaugia, eum similiter receperunt.

Intelligens autem Carolus Guntherum jacere in campo, ad Rhenum se transferens, Treverensem, & Coloniensem Archi Episcopos Leodiensem Episcopum, Ducem Brabantiae & alios Principes amicos alloquitur. Scribens etiam Baronibus & civitatibus quæ eum receperant pro subsidio, & quòd in villa Castel, ex opposito Moguntiae, castrametari vellet, dominica *Esto mihi*: ad quos locum & terminum Guntherus quasi in derisum torneamentum indixit.

Carolus autem quia fuerat viduus, tractaverat cum Rudolfo de Bavaria Palatino, qui Guntherum elegerat, de sponsalibus cum filia Rudolphi Palatini, quæ unica fuerat filia ex matre de Carinthia, & duxit eam uxorem: quam-

quamvis ipsi duo, Carolus & Rudolfus, quondam Rudolphi Regis pronepotes fuerant, ipseque Rudolfus & quondam uxor ejus mater sponsæ, similiter fuerunt, ejusdem Rudolphi Regis pronepotes, super quo nunquam dicitur fuisse dispensatum: materque sponsæ & sponsus similiter liberi duarum sororum fuere. Cum autem Carolus pro tunc Guntherum, præ potentia sua & sibi adhærentium, invadere non posset: indixit Colloquium Spiræ, ad Dominicam *Letare* tunc sequentem, de villa Castel recedendo. Cumque Spiram venisset, convenientibus, ibidem Treverensi, Gerlacô Moguntinensi, Eberhardô Comite de *Wirtemberg*/ multisque Baronibus & Civitatum nunciis, cum speraretur Guntherum in vicino venturum, pro concordia inter electos tractanda, prout Principes ipsi Gunthero scripserant: ipse scriptum spernens, castrum *Friedeberg* obsedit, cujus castrenses sibi rebellabant: & tandem vicit. Post hæc in principio Maij infirmante Gunthero in *Franckfurt*/ Magister *Fridanckus* famosus medicus, & Comitibus de *Nassowe* antiquitus familiaris, cum Gunthero potionem dedisset, quam asseruit eidem expedire, eam (licet invitus) ad mandatum Guntheri primò tentavit & probavit, ipso præsentate. Post hæc Guntherus eam sumpsit. Statim Medicus in facie inceperat decolorari, & infra triduum moriebatur. Guntherus inflatus, quoad valentiam corporis statim inutilis est effectus, & creditur famulum Medici injecisse potioni venenum.

Convocavit autem Rex Carolus exercitum ad Moguntiam, in Majo anni prædicti. Moguntini enim sibi in odium *Heinrici* Archiepiscopi qui eos læserat, & *Franckfurten*si-um, à quibus Rex abstulerat nundinas, dans eas *Moguntinis*, firmiter adhæserant. Intentio autem *Moguntinorum* fuit, expugnare oppidum cum castro *Altesvill*/ constructum per *Moguntinum* super *Rhenum*, addu-
as leu-

as leucas distans à Moguntia. Guntherus autem letaliter infirmus, cum gente sua se in **Alteuill** apud Henric. Moguntinum tunc collocavit. Transeunte autem Carolo Rege Rhenum, ducenti equites Guntheri impetum facientes, Carolum terruerunt. Accelerantes autem equites Eberhardi de **Wirttemberg** / & quidam alii fugarunt eosdem: de qua fugatione multi milites novi sunt creati.

Veniens autem Marchio de **Brandenburg** sine gente, habitis tractatibus cum Rege Carolo de concordia, videns etiam Guntherum factum invalidum: negotium inter eos comportavit, ita quòd Gunthero pro renunciatione juris suæ electionis, data sunt viginti duo millia marcarum argenti, & duo oppida Thuringiæ Imperialia, pro tempore vitæ suæ. Quod ipse Guntherus, licet infirmus, difficulter cõsensit: si sanus fuisset nullatenus cõsensisset, de Principum suorum electorum, specialiter Bavavorum, perfidia multa conquerendo. Obiit autem ipse Guntherus post comportationem hujusmodi, infra mensem, in **Franckfurt** / & in Ecclesia parochiali ibidem, præsentente Rege Carolo, fuit cum lamentatione sepultus. Quo sepulto, Francofordenses in perpetuam memoriam, solenne, ut decet Regem, fecerunt sepulchrum. Rex Carolus ex tunc Franckfurtensibus omnia sua privilegia confirmavit & nundinas restituit, datis sibi viginti millibus marcarum, quæ recepta sunt à Judæis, crematis ibidem.

Onuphr. Panvin. Rom. Principum

lib. 3. n. 41. in Chron. Chron. p. 190.

I.

Guntherus natus in Thuringia, anno Domini mcccv. Qui ex Comite Schwarzemburgensi & Thuringiæ, IV. Nonas Februar, Anno Dom. MCCCXLIX.

Fran-

Francofordiae Rex Romanorum, in locum Ludovici Bavari Imp. mortui in schismate contra Carolum IV. Imp. ab altera Electorum parte, videlicet Henrico Archiepiscopo Moguntino, Ludovico Romano filio Imperat. Bavari Marchione Brandenburgensi, & Henrico altero Duce Saxoniae, & Rudolpho Duce Bavariae Comite Palatino Rheni, appellatus, Aquisgrani eodem mense coronatus est ab Archiepiscopo Moguntino Henrico de Wirtemburgh.

Imperavit contra Carolum IV. Imperat. menses plus minus VI.

Obiit veneno extinctus, Francofordiae circa Calen. Augusti, anno MCCCXLIX.

Sepultus Francofordiae.

Vixit annos XLV.

Uxor Elisabeth. filia Friderici Ducis Austriae.

CAPUT PRIMUM.

De Illustri Patriâ & Familiâ Guntheri,

Romanorum Regis.

I.

PAtria GUNTHERO nostro fuit GERMANIA, terra illa, quæ Imperatores optimos maximos, aliosque viros, togâ sagôque longè clarissimos produxit. Genitorem habuit Henricum, Comitem Schwartzburgicum Erfordiae, Anno Christ. 1313. morte abreptum. Fratres ejus fuere Gerhardus, qui primum Episcopus Naumburgensis, postea Herbipolensis & Dux Franconiae factus: Henricus & Johannes. Ipse inter fratres natu maximus lucem vidit, Anno Chr. 1304. vel juxta Onuphrium Panvinium Anno 1305. Cum verò Familiæ splendor Heroes maximæ deceat, eosque illustriores reddere soleat, ope-

B

ra pre-

ra pretium omnino est, ut de antiquissima & illustrissima Familia Schwartzburgica, ex libello nostro, de antiqua Orig. dignit. & præminent. juribus ac privilegiis Comitum Schwartzb. paucula quædam adferamus.

II.

Occurrunt autem tres præcipuè de Origine Illustris Familix Schwartzburgicæ Historicorum opiniones. Prima eaque communissima sententia eorum est, qui incunabula Familix hujus ad Widekindum Nigrum, *der schwarze Ritter genant*/referunt. Dress. Isag. Histor. part. 4. p. 572. De eo post alios Hieron. Henninges in suo opere, Genealogico, p. 323. ita differit: Widekindus, (vel ut alii scribere malunt, Witekindus) niger, Eques auratus in Saxonia circa Annum Christi 751. tempore Pipini Francorum Regis, ejusque Filii Caroli Magni Imperatoris Romani, Supremus militiæ Dux Edelhardi, Saxonum Regis, contra Francos, quos sæpius prælio vicit. Interfecto verò ipsius Filio Hermanno, cum Bertholdo patruo ad Bucholtium. An. C. 779. à Francis captus, in Galliam abductus, & per quinquennium detentus est. Verùm Caroli Magni suafu eadem susceptâ, tandem è sacro fonte lavatus est, per ipsius Filium Ludovicum, qui nomen suum ei indidit, & Ludovicum vocavit. Constitutus deinde à Carolo Magno Præfectus militiæ contra Saracenos, petiit à Domino suo, ut filios, qui tum in Saxoniam adhuc morabantur, invisere concederet, quibus Imperator saluum conductum dans, ut patrem Wormatiæ convenirent, voluit. Hos ducentis equitibus, & ferocis animi Juvenes aspiciens Carolus dixit: Verùm est proverbium: Lupum non parere Agnum. Cumque & hi fide Christianâ imbuti baptizarentur, dedit eis Carolus in Thuringico Saltu 20. miliaria in longitudine, & 10. in latitudine, Jure hereditariò possidenda. Postea in Hispaniam profectus Saracenos

nos

nos multis præliis fudit, ac vicit, tantâque fortitudine pro fide Christianâ pugnavit, ut Imperator prædictus ei scriberet: Dilecto suo filio, ac militi Christiano &c. ipsumq; in Comitem, (Andium, al Angiers) eligeret. Hæc ille. Ludovicus autem hic ex Agnete Comitissâ Wisenburgensi filium genuisse, cui in Baptismi susceptione Caroli nomen ineditum fuisse, dicitur, qui & primus Comes Schwartzburgicus audiverit, idque ex eo, quod arcem à se ad radices Saltus Thuringici non procul à Salæ fluvio ædificatam hoc nomine insigniverat. Vid. Laur. Peckenstein. Theatr. Saxon. cap. 15.

Diploma autem Imperiale Caroli M, Ludovico, ejusque filiis concessum, olim in Arce Querfurtensi inter rudera collapsi turris repertum hoc esse dicitur:

*Carolus divina Favente Gratia Romanorum
& Francorum Rex &c. terraque Saxonum & Thuringorum Dominator.*

Dilectis ac Nobilibus Filiis, Ludovico Seniori, Equiti, & militi nostro Christiano, Exercitusque Capitaneo generali in Hispaniâ contra incredulos. Ejusdem Heredibus Carolo nec non & Ludovico, Salutem.

CONsiderata devotione vestrâ, quam geritis circa Deum, propter quam, non tantum laborum, & rerum, verum etiam proprii sanguinis effusione, ad propulsandos, & extirpandos Saracenos & evacuandum gentilitatis errorem, Tu fili, dilecte *Ludovice*, indifferenter te exposuisti, ideoque ob hanc Tuam strenuitatem, non minora commoda imperio, nobis, & Ecclesiæ præparasti.

parasti. Comprobatâ igitur, expertâque fidelitate tuâ, quam indefessam invenimus. Operæ pretium nobis facturum judicavimus, tuis expensis, & laboribus Imperiali nostra autoritate, & munificentia subvenire. Propterea tibi, tuisque heredibus concedimus Tractum Regionis in saltu nostro Thuringiaco ad 20. milliaria in longitudine, & 10. in latitudine, jure hereditariô possidendum, & facultatem damus in territorio districti illius dominationis quærere, & fodere aurum, argentumque, atque omnia alia Metalla, uti debeatis & possitis. Donamus etiam oppida *Glichou & Aschk*, cum omnibus requisitis, & Regaliis, quæ ad nos obitu viri Nobilis *Sighardi*, Domini in *Gleicho* pervenere. Et ad evidentiam, & perpetuitatem omnium promissorum præsentem hanc paginam nostri Sigilli magni appensione munitam vobis decernimus indulgendam. *Data ad Portam Naonis in Francia, Anno incarnatæ Salutis. 749.* Illud autem circa æram Christianam hujus antiquissimi Diplomatis monendum duximus, eam non satis convenire Historiæ Imperii Carolini; Quapropter pro anno *Septingentesimo quadragesimo sexto*, substituendus videtur *Annus septingentesimus quinquagesimus sextus.*

IV.

Sunt verò alii, qui familiam *Schvvartzburgicam*, (ut & *Gleichianam*, hodie extinctam) multò antiquiorem esse dicunt, quam ut ab hoc *Widekindo* primùm inchoetur; propterea quod in *Annalibus Stolbergicis* mentio fiat cujusdam Comitis *Stolbergici*, *Volcmari* dicti, qui cum *Anna Schvvartzburgica* jamtum A. C. 585. connubium inivisse dicitur. Volunt igitur hujus sententiæ adseclæ, Familiam hanc ortam ab *Ernesto*, (olim *Ariovisto*, *Ehrenvest*/dicto. *Peckenst. d. l.*) Nobili quodam Romano, qui cum fratre suo, desertâ Italiâ, propter civilia bella, circa A. C. 455. in Saxoniam contulisse, & circa *Gottinam* duas arces

arces in montibus æqualis altitudinis, quas *Gleichen*, undè postea Comitum nomen, appellarunt, ædificasse fertur, quarum unam hoc seculo nobiles à *Millenstein* possidere dicunt. Porro memorant, horum posteros à Saxonibus expulsos in Thuringiam concessisse, ibique circa *Mullbergam*, & *VVachsenburgum* aliam arcem ejusdem nominis in monte sitam exstruxisse, quam adhuc hodiè videre licet. Atque ita majores *VVidekindi* à quibusdam ad Gertos, ab aliis ad Saxones referuntur. vid. *Johann Stumpffius in Annalib.* *Johann Aventinus in Annal. Bavar.* *Johann Stigelius, Professor quondam Poeseos Jenensis, in Oratione Funer. Alberti Comitis Schvartzburgici, Ienæ recitata.*

V.

Tertia opinio eorum est, qui *Schvartzburgicam* Familiam ex Comitibus *de Kevernburg*, oriundam fuisse adserunt. Eam opinionem inde stabilire videntur, quod Clypeus, & Scutum Comitibus *Schvartzburgicis*, & *Kevernburgensibus* olim insignia eadem fuerint: Utrique scilicet Comitum Familiæ in usu tum temporis fuisse dicitur Clypeus cœruleus, in quo continebatur flavus Leo, capite lateri dextro obverso, atque pennæ pavoninæ fulgore conspicuæ, unaque cum pectine, & rastro, scuto impositis: Diversitatem autem nominum utriusque familiæ inde ortam dicunt, quod usu olim receptum fuerit, ut Principes, Comitesque loca hereditaria, cum obirent, pristinis nominibus suis quasi abolitis, à locis hereditate ad se devolutis alia sibi nomina adsumerent, quod auctoritate *Cruicii lib. 3. Annal. Suev. part. 2.* & *Johann Tili lib. 1. de Rep. Gall.* probare nituntur. Idem & hic contigisse volunt, quendam scilicet Comitem *de Kevernburg*, domum, seu castrum *Schvartzburg* exstruxisse, & avito cognomine mutatò, certum à nova sede sua *Schvartzburg* nomen adsumisse, atque si primum appellatum fuisse Comitem

Schvartzburgicum. Addunt & hoc, Comitem quen-
dam nomine *Sizo* modò *Kevernburgensem*, modo *Schvartz-*
burgensem vocatum fuisse, quod utraque ditio tùm tempo-
ris ipsius dominio ac potestati subjecta fuerit. Quod ve-
rò originem Familiæ Comitum de Kevernburg attinet,
eam à Gothis quidam deducere satagunt, qui ante Chri-
stum natum, vel propter multitudinem populi, vel invi-
diam, aut bellum, patria sua deserta, ad Thuringicas oras
appulerunt, quos inter multos fuisse duces tradunt, qui
circa Sylvam Thuringicam plures sibi elegerint possessio-
nes, in qua etiam regione pagos, quam plurimos ab ipsis
conditos referunt. Indè porrò colligere volunt, quod
Arx, prope civitatem *Arnstadt*, quæ est Ditionis Schvartz-
burgicæ, sita, *Kevernburg* dicta, cùjus rudera summam ve-
tustatem adhuc loquuntur, tempore illo à Regis *Ezelii* Du-
ce, nomine *Kive*, vel ab alio quodam hujus nominis con-
dita fuerit; Alii verò in ea sunt opinione, quendam Re-
gem Galliæ arcem illam Kevernburg exstruxisse, nomen-
que eidem a patruo suo Castello, *Kevermont*, quod Reges
Galliæ in Lotharingia, circa Metim habuisse dicuntur, in-
didisse. Adferunt testimonium *Bernhardi Herzog*, qui in
Chronico suo Alsatia tradit, Regem Galliæ *Lotharium* sex
habuisse filios, inter quos *Gundarum* quendam (Gunther)
recenseri, cui, cum in Genealogia nullum adscriptum fue-
rit certum dominium, indè animadverti posse, quidam
adferunt, quod statim a primis quasi incunabilis Galliâ re-
lictâ, alias petierit regiones, vel forte à patre ipso, pro-
vincia quadam extranea fuerit donatus. Dicunt præte-
rea, antiquissimam picturam in Arce Kevernburgensi o-
lim repertam fuisse, eamque adhuc adservari, in qua tres
viri, totidemq; illis fœminæ junctæ veteri Germano-Gal-
lico ornatu conspiciuntur, cum inscriptione tali, *Genealo-*
gia Comitum Kevernburgensium. Nomen etiam *Gündari*
primo

primo additum fuisse, & nonnulla antiquissima Comitum Kevernburgensium sigilla faciem aliquam cum Corona Regia, quædam insuper juxta Clypeum ab utroque latere lilia repræsentasse fertur. *Hæc de origine Comitum de Kevernburg.*

Vidimus hæctenus tres diversas auctorum circa primævam profapiæ Schvartzburgicæ originem opiniones, quarum postrema utut singularis sit, non adeò tamen improbabilis videtur, Nolumus tamen in hac re ambiguâ, & ob insignem antiquitatem obscurâ, certum quid definire, quamvis prima communior sententia non simpliciter reiicienda videatur.

Illud denique ex nominatissimo Historico, Alberto Cranzio. lib. 2. cap. 22. metropoli: adducimus, Comites Schvartzburgicos ab eo Principibus adnumerari: Verba auctoris hæc sunt: *Dudum, ait, quæsi vi mecum, nec reperi quid habeat diversum Burggravius, Comes, Marchio, Comes Provincialis, quem non bene Latine appellant Landgravium. Equidem de Provinciali comite & Marchione compertum est, quia inter Principes numerantur; Comites indistinctè non ita, Sunt enim in eis, qui Principes habentur de Anhold & de Schvartzburg. Hæctenus ille.*

CAPUT SECUNDUM.

De Guntheri Schvartzburgici dotibus corporis, animique virtutibus.

ANimo humano (verba sunt Pastorii, in *Theodosio Magno c. 3.*) corpus non habitaculum modò, in quo moritur; sed instrumentum est, quo ad functiones & operas in vitâ obeundas reddatur habilior. Adeoque non parum refert, qualecunque menti domicilium, quale organum contingat. Aliud enim alio commodius est. **Cætero**

tero etiam hominum grege plus ferè educatio, quàm natura, in Heroibus plus natura, quàm educatio potest. Id quod in GUNTHERO nostro evidentissimè apparuit. De eo namque memorat probatæ fidei Historicus, Joannes Cuspinianus, in vita Güntheri: Eum fuisse virum *robustum & strenuum*: undè aliis *Achilles Germaniæ* appellatus; & ob insigne robur animi, aliasque dotes ab Electoribus Imperii, (ut mox pluribus dicitur) contra Carolum IV. Bohemiæ Regem, qui & ipse fortitudine, doctrinâ, opibus & armis præstantissimus memoratur, ad Solium Imperiale evehctus, ac ita se gessit, ut ob virtutes suas Heroicas prorsus omnibus Principibus esset admirationi. Eum bello plurimum valuisse, præclaraque multa sub Ludovico Imperatore gessisse, idem Cuspinianus refert: Et Henricus Pantaleon. *part. 2. Heroum Germanorum. Sub Tit. Cuntherus Comes de Schvartzenburg*, ita scribit: *Guntherus, Illustri Familiâ Comitum de Schvartzenburg in Thuringiâ natus & educatus fuit. Is multis egregiis virtutibus præditus Ludovici Cesaris castra secutus, atque insigni corporis & animi fortitudine magnam autoritatem, apud omnes Principes adeptus est. Unde copiis Casareis Præfectus, in omnibus locis victoriam obtinuit, atque sibi hac ratione magnas opes, & plurimos amicos comparavit. Idem etiam Alberto Argentinensi. Chron. part. 2. fol. 150. Vir robustus, bellicosus, strenuus, & prudens in bellis, in pluribus conflictibus feliciter prævalens dicitur.*



CAPUT TERTIUM.

De GUNTHERO, in Imperato-
rem electo.

Nihil jam deesse videbatur GUNTHERO nostro, nisi ut ingenium ipso rerum gerendarum molimine exfereret, publicumque prudentiæ ac Heroicæ fortitudinis specimen ederet. Dicendum igitur nunc est, quâ occasione & quibus ex causis summi Principatus honores & gradus Günthero nostro fuerint oblatis. Aliquantô autem altius ex Historiâ Germanicâ repetendum videtur, quid post fatum Henrici VII. Imperatoris, circa electionem Imperatoris factum fuerit. Mortuo scilicet per venenum *Henrico VII.* acerrimæ contentiones super electione in Germaniâ exortæ sunt. *Anno 1314.* (scribit *Peucerus in Chron.*) *mensis Octob.* Moguntinus, Trevir, Frater Henrici VII. Imper. *Johannes Bohemiæ Rex,* & *Voldemarus* Marchio Brandenburgensis, elegerunt *Ludovicum* Baviaræ Ducem. Cæteri *Coloniensis Henricus de Virnburg,* *Rudolphus* Palatinus ad Rhenum, Ludovici frater, & *Rudolphus* Dux Saxonæ, opposuerunt *Fridericum Austriacum.* Vicisse Bavarum suffragio Bohemici Regis, qui Friderico infensus erat, suspicio est. Nam *Rudolphus* Palatinus consobrinum (*Fridericum*) fratri prætulit. Hæc *Peucerus.* Ex dissidio autem illo, (ut tradit *Dresserus in Chron.*) civile bellum funestum extitit, quod annis octo, fortunâ variâ, eventuque ancipiti gestum est, & vix præliis quinque tandem sopitum. Erat tunc Germania populis & opibus adfluentior, quòd & Belgicæ urbes, & Helvicæ imperio Germanorum parebant. Hæc ergò, ut fit in dissensione Civili, ita divellebantur, ut aliæ *Ludovicum,* aliæ *Fridericum* Austriæ Ducem, sequerentur. Ac-

C

cede-

cedebant etiam Pontificis Romani consilia nimis calida & ambitiosa, quibus dominatum sibi per totum imperium quærebat. *Fridericus* quidem Anno 1316. *Eslingam*; Sueviæ urbem cum sociis suis obsidebat: sed repellebat eum *Ludovicus*, commisso victoriæ incertæ prælio. Inde tumultuatum est in Germaniâ, usque ad Annum 1323. quo *Fridericus* exercitum decem millium Ungarorum, & viginti millium Austriacorum in *Bavariam* duxit, eamque graviter adflixit, diripuit, exussit, & in turbam inermem virorum & mulierum horrendum in modum sævit. Huic ergò occurrit *Ludovicus*, & cum eo ad oppidum *Maltorff* & *Oetingam* prælio atroci decertavit, in quo copias illius fudit, ipsum verò cepit, cum fratre *Henrico*, & triennio in custodiâ retinuit. Postea dimisit eâ conditione, ut nomen quidem & titulum, sed neque jus, neque potestatem Imperatoris usurparet. Nec ita multò post captivitatem mortuus est Anno 1330. *Ludovicus* autem à *Stephano Columnâ*, Vicario Rom. Reip. reclamante Pontifice Joanne XXII. coronatus est. Hinc cum more majorum is oppidis Præfectos constitueret, Pontifex ei de jure controversiam movet. Undè controversiæ de jure Imperii exacerbatae sunt. Et cum *Ludovicus* in Italiam profectus eam pacasset, à Pontifice mirum in modum exagitatus, & tantem excommunicatus est. Ad excommunicationis autem Bullam Papalem Imperator ipse respondit, eamque refutavit. Vid. Marq. Freheri Appendix. tom. 1. oper. Comitibus autem *Ludovicus* Imp. Spiræ & Francofurti instituit, ubi Anno 1338. die XI. Mensis Augusti, publico Procerum atque omnium ordinum decreto sancitum & conclusum est: *Electum Francofordiæ in Regem Romanorum à Principibus Electoribus, administrationem Imperii ante confirmationem habere plenam.* Hæc sententia & responsiones *Ludovici* ad objectiones Papales sigillo Imperiali obsignatae,

gnatæ, & foribus Ecclesiæ S. Bartholomæi, in quâ Electio Imperatorum fieri solet, adfixæ sunt. Verba sanctionis istius pragmaticæ inter alia hæc sunt: *Vt autem post hac hujuscemodi malis evitatis, pace jam factâ, quietè populus Christianus fruatur, ex consilii decreto, hocque plebiscito decernimus, quoque supra ritu solenni, religione adacti, censuimus, perpetuo sancimus edicto, nimirum, ex solo electionis beneficio, omnem potestatem Imperiumq; proficisci, nec ullo pacto Pontificis Romani in hac re sanctimoniâ, flaminio, auctoritate, consensu opus esse. Quicumque aliter docuerit, senserit, factitarit, crimine læsæ Majestatis reus, hostis Reip. atque proscriptus esto, capite pœnas solvito, bona ejus publica sunt, prædia infiscentur.* Melch. Goldastus. Tom. 3. Constit. Imperial. p. 409. Id quoque edictum Benedicto XII. & Clementi VI. Pontificibus Romanis postea oppositum. Quod etiam non ignorarunt Basileenses, quando post obitum Ludovici Imperatoris Episcopo Bambergensi ita responderunt: *Quemcumque Imperatorem Electores nobis dederint, hunc recipimus, etiamsi nunquam Papam requirat.* Mutius lib. 25. Chron. German. Idem repetitum ab Imp. Maximiliano I. in Comitibus, Anno 1507. Constantiæ habitis, qui statuit, *Cæsaream dignitatem atque auctoritatem ex voluntate Principum Germaniæ descendere.* Vid. D. Strauch. Dissert. Canonic. 2. ad cap. venerabilem. extra. de elect. & elect. potest. Ipse etiam Guntherus, Imperator, supra laudatum edictum Antecessoris sui, Ludovici Imperatoris An. 1349. circa initium Imperii sui, die 10. Martii, confirmavit, ut patescit ex sequente Edicto, quod exhibet jam laudatus Melchior Goldastus ab Haimensfeld:

d. tom. 3. p. 414.



C 2

GUN.

GUNTHERI SCHWARZENBUR-
GII IMPERATORIS AUGUSTI
EDICTUM.

*De imperii excellentia & Potestate Electi
Imperatoris.*

CUM prædecessor noster, Dominus Ludovicus, felici recordationis, Romanorum Imperator, legem condiderit, in qua decrevit, Electum in Francofurt in Regem Romanorum à Principibus Electoribus, aut majori eorum parte, administrationem Imperii ante confirmationem Papalem habere plenam, & omnimodam. Nos habito Principum nostrorum consilio, tam spiritualium, quam secularium, post electionem nostram ab omni Clero, & populo probatam, & confirmatam, eandem legem hoc edicto nostro in perpetuum valituro renovamus, & ratificamus, renovatamq; & ratam esse jubemus, decernimusq; omnes processus adversus illam institutos, fuisse & esse nullos, Pontificum Romanorum acta, & dogmata adversus eam habita Christianæ doctrinæ & Apostolicæ repugnare, cum ipse Pontifex secundum omnia Jura divina & humana debeat subesse Imperio, nec Imperator in temporalibus illis, aut ulli personæ in terris subjectus esse noscatur. Quænam ergò hæc superbia est, quæ nova, & inaudita tyrannis, ut Princeps Romanorum legitimis suffragiis Electus, publicæ libertatis author, libertate privetur, ut cujus esse debent omnia, ipse non sit suus. Quapropter ex dictorum Principum ac fidelium Imperii maturo consilio, & instantibus precibus Jura Imperii adversus quamcunq; personam, quæcunq; aliquid in perniciem, & destructionem ejus attentare, aut huic nostro edicto, & con-

& confirmationi contravenire ausus fuerit, strenuè viriliterque propugnanda suscepimus, ipsis Principibus ac fidelibus firmum auxilium fideliter promittentibus, & suscipientes declaramus omnes eos, qui contra hanc nostram confirmationem aliquid dicere aut facere, vel dicentibus aut facientibus consentire præsumserint, tanquam nostros & Imperii rebelles, omnibus beneficiis, gratiis, & dignitatibus, quæ ab Imperio tenent, ipso jure & facto esse privatos, sicuti nunc, & ex tunc eos privamus: Insuper crimen læsæ Majestatis eos incurrisse sancimus, & pœnis omnibus in criminis læsæ Majestatis reos statutis subjacere. *Datum in oppido nostro Francofurt. VI. Idus Martii, anno ab incarnatione Domini millesimo, trecentesimo, quadragesimo nono, anno verò Regni nostri primo. &c.*

II.

Postquam igitur Ludovicus Imp. diem suum obiisset, acerrimæ contentiones super novâ electione Imperatoris exortæ sunt. Nam, (ut refert Joannes Cuspinianus. *De rebus gestis Impp. p. 386.*) & *Edvardus* Anglorum Rex, & *Fridericus* Marchio Misnensis, & *Ludovicus* Marchio Brandenburgensis sæpissimè citati, Imperium adsumere recusarant, *Guntherus* autem *de Schvartzenberg*, seu *de nigro monte*, (errorem hunc, quo Illustrissimæ Familiæ de Schvartzburg & Schvartzenberg à nonnullis confunduntur, alibi notavimus) Thuringiæ Comes, qui præclara multa gessit sub Ludovico Imperatore: Henrici Moguntini antistitis olim familiaris, in conflictibus multis victor gloriosus, atque ex iis haut parum ditatus, *annos natus quadraginta quinque* à Principibus Electoribus *Carolo* contrariis, diu multumque sollicitatus, ut Imperium adsumat,

sumat, crebro recusavit. Tandem iis conditionibus annuit, si Principes Imperii in Francofurto per sententiam decernerent, vacare Imperium, majorque pars conveniret, qui se jus eligendi habere adsererent, sese paratum esse, amore Dei immortalis, pericula quæque pro Imperio subire, ut à Tyrannis & servitute Imperium liberaret. Noluit autem per Simoniam ac largitiones quidquam facere. Ex hac relatione nominatissimi Historici apparet cum singularis prudentia GUNTHERI nostri, tum rara pietas & amor ejus erga patriam, tum laudabilis modestia ac abstinencia, virtutes omnes tanto Heroe dignissimæ. Congregatis igitur Principibus (ita pergit modò laudatus Historicus) in campis Francofordiæ, convenerunt *Henricus de Virnburg* Archipræsul Moguntinus, *Ludovicus* Marchio Brandenburgensis, *Rudolphus* Dux Baviaræ, Palatinus Rheni, consentiente ejus Fratre *Ruperto*, & capto tum *Roberto*, fratre eorum, & *Ericus* Dux Saxonæ, cui etiam jus eligendi competebat, tanquam Filio fratris senioris, *Rudolphi* Ducis Saxonæ, qui *Carolus* elegerat, unanimi consensu GUNTHERUM Comitem de Schvartzenburg, Regem Romanum eligunt, die Purificationis Mariæ, Anno millesimo trecentesimo quadragesimo nono: Eundemque Regem pronunciant, declarant, præstitis juramentis, ac debito exhibito officio: Datis insuper sententiis, vacare Imperium, majoremque Principum Electorum partem congregatam esse. Aliqui enim vel non ausi comparere, latuerunt. & venire dissimularunt.

Coeterum Instrumentum Electorale, quo Imperium Günthero nostro traditum fuit, cujus originale Exemplar adhuc dum in Archivo Schvartzburgico adservatur, sequentis est tenoris.

Wir

WIR Heinrich von Gottes
 Gnaden/ des Heiligen Stuls zu
 Mainz; Ertz-Bischoff/ des hei-
 ligen Römischen Reichs / in
 Teutschen Landen Ertz-Cantz-
 ler/ und Wir Gurt von Falcken-
 stein Thum-Probst/ und Vora-
 münder desselben Stiffts zu Mainz/ bekennen und
 thun kund allen Leuten/ die diesen Brief sehen/ oder
 hörend lesen/ daß wir dem Edlen Manne Güntern/
 Grafen zu Schwartzburg/ Herrn zu Arnstadt/ den
 wir Ertz-Bischoff Heinrich vor genant / mit dem
 Durchlauchtigsten / unsern Mit-Churfürsten/
 Herrn Adolphen / und Herrn Rupprechten/ dem
 Eldern Brüdern/ Pfaltz-Grafen bey Rhein/ und
 Hertzogen zu Bayern/ Herrn Ludwigen/ Marck-
 Grafen zu Brandenburg/ Herrn Dieterichen/ Her-
 zogen zu Sachsen/ zu einen Römischen Könige ge-
 nant/ geforen/ und gewehlet han/ getreulich helf-
 fen sollen mit aller unser Macht ohne gefehrde/ wi-
 der Herrn Carele/ der sich König zu Böhmen nen-
 net/ und wider alle die/ die ihn an den Römischen
 Reiche/ oder an des Reiches rechten Lehnen/ geist-
 lichen und weltlichen/ oder an seinen erblichen Güe-
 den/hindern oder irren wollen/oder irreten/ als lan-
 ge der

ge der Krieg wehret zwischen ihme / und dem Carl /
 und dem vorgenanten Grafen / den wir zum Römischen
 Könige genant / geköhren / und gewehlet
 haben / als vorgeschrieben stehet / gelücket / daß er
 uns helffen mag / so soll er uns besorgen / und unser
 Stift an solcher Koste und Schaden / die wir um
 seinen Willen gehabt / oder gethan hätten / oder vor-
 basz thäten / also daß wir / und unser Stifft von
 Schaden / und Kosten enthalten würden / und nicht
 verdürben / nach unser / und seiner Freunde Sage /
 die wir jedersit darob erkiesen sollen. Duchtin sullen
 wir keinen Frieden noch Güne nehmen / mit dem
 vorgenanten Herren Carrel / noch mit dem Pabiste /
 noch mit ihur ieren helffen / one Willen und Wissen
 des vorgenanten Herren Günthers / den wir zum
 Römischen König genant / und erwehlet haben.
 Duchtin sullen wir mit unsern Capittel / daß izument
 bey Vieleben ist / abetragen / were daß wir Henner /
 Ertz-Bischoff vorgenant / von Todes wegen abe-
 giengen / daß sie keinen Ertz-Bischoff nehmen / oder
 ihren / er iner habe dann die vorgeschriebenen Stücke /
 und Articul vorgelobet / und geschworen / stete und
 feste zu holdene / ohne allerley Argelist / und Geschr-
 de. Auch ist geredet / were daß wir / und he uns sü-
 neten / mit dem vorgenanten Herren Carrolen / oder
 daß he von Todes wegen abgingen / dannoch sollen
 wir

wir dem vorgenanten Herren Günther urbaß helfa
 fen / wider den Pabst / und wider alle geistliche
 Herren / die ihn ansichten / oder witterfechten wollen /
 ohne Argelist. Alle die vorgeschriebene Dinge /
 und Articul haben wir Heinrich / Ertz-Bischoff /
 und Curt von Salckenstein vorgenant / in guten
 Treuen gelobet / und auf den heiligen Evangelien
 geschworen / auch stete und veste zu haldene / nach als
 le unser Mügen / ohne allerley Argelist und Guede.
 Des zum Uhrkunde haben wir unser Insiegel an
 diesem Brief gehangen / der gegeben ist zu Franck-
 furt / auf den Jahres Tag / den man nennet Cir-
 cumcisio, da man zehlete / nach Christi Geburt
 Dreyzehen hundert Jahr und darnach in dem vier-
 zigsten Jahre.

(L. S.)

(L. S.)

CAPUT QUARTUM.

De his, quæ Electionem Guntheri sequu-
 ta sunt, & de ejus Adversario Carolo
 Bohemo.

I.

CUM electus Romanorum Rex Guntherus, Francofor-
 tum introire vellet, à civibus est prohibitus. Caussam
 prohibiti ingressus hanc adfert Cuspinianus, de rebus

D

gestis

gestis Impp. Mos, inquit, est civibus Francofurtensibus, (quam quidem consuetudinem pro lege habent,) ut neminem Regem in urbem suam intromittant, cui sit *emulus Imperii*, aut *adversarius Regni*, nisi aliquod mensibus urbs obsessa vim patiatur, *adversariusque aut emulus Regni interim aut manus cum illo conferat, aut divisioni finem imponat, itaque unus fortiter regnet, alter inglorius ac timidus abeat.* Verum nihil hujus moris, (cujus etiam mentionem in hac re facit Octavius de Strada, *de vitis Impp.* p. 466. & novissimè Burgoldensis, *ad Instrum. pacis. Osnabr. part. 1. diff. 12.*) apud antiquos, & horum temporum Historicos extitisse, neque in usu fuisse, testatur Lehmannus, *Germania Antiquitatum promus condus. in Chron. Spir. lib. 7. c. 34.* Guntherus igitur, (ita pergit laudatus Historicus *cit. loc.*) ingenti coacto exercitu, potentissimè urbem obsedit duobus penè mensibus. Dehinc in urbem Regio more est receptus. *Carolus* Guntheri adversarius, hoc audiens, nec tamen eum adgredi ausus, ad Rhenum se transtulit, Trevirenses ac Coloniensem Archiepiscopos alloquuturus, Leodiensemque Antistitem & Ducem Brabantiae pro subsidio invocans, à Civitatibus quoque auxilia quærens, in villam *Castell*, è regione Moguntiae, præscripto die exercitum adesse jubet, quo die Guntherus Rex electus, utut potentiam Caroli minimè pertimesceret, vel ut ejus subsidia contemnere videretur, in derisionem militares ludos ac congressiones hastarum concursionesque (quas hodiè *Turnier-und Ritterspiel* vocant) indixit, ubi magna conveniens militum ac Nobilium multitudo, dies plures non sine ingenti lætitiâ peregerunt. Cùm itaque Carolus Bohemus contra hunc bellicosum Virum aperto Marte nihil efficere posset, mirabili astutiâ eum circumvenire, atque novâ adfinitate Principes ab eo alienare tentavit. Nam cum esset viduus, Rudolphi Palatini, (qui Guntherum elegerat) ut in partes

tes

tes suas attraheret, unicam filiam, ex matre de Carinthia, in uxorem duxit. Quamvis ipsi duo Carolus & Rudolphus, quendam Rudolphi Regis Pronepotes fuerant, ipseque Rudolphus & quondam uxor ejus mater sponsæ similiter fuerint ejusdem Rudolphi Regis pronepotes, super quo nunquam dicitur fuisse dispensatum; materque sponsæ & sponsus similiter liberi duarum sororum fuere; ut refert Albertus Argentinensis. *in Chron. part. 2. fol. 150.* Sed crevit indies potentia Guntheri, quæ Carolum, ne quid moliretur, impedivit. Aliâ igitur ingressus viâ Principes *Spiram* convocat, eosque adhortatur, Gunthero scribant, ut & ipse eò veniat, tractatusque fiat, quo rixæ istæ ac divisiones sedentur. Interea ad Dominicam Lætare tunc sequentem, de villa Castell recedendo. Venerunt tum *Spiram* Trevirensis Gerlacus, Moguntinus, Comesque de Wurtemberg, cum multis Nobilibus, ac Civitatum Imperialium Oratoribus, Guntherum expectantes, cum in propinquo esset, sed frustra. Nam is scriptum spernens, castrum Frideburg obsedit, & cum castrenses rebellarent, mox expugnavit atque devicit. In principio itaque Maji Carolus *Spirâ* exiens cum exercitu, petentibus *Spirensibus* castrum, cui nomen erat *nova Curia*, funditus dejecit, ac terræ æquavit. In his turbis, ut fertur, *Schvartzenburgensium* & *Plauensium* agri à Carolo infestati sunt. Circa hoc tempus Imperator Guntherus liberis ac familiae suæ in casum mortis prospicere voluit, quod ex sequenti Documento, ex Archivo *Schvartzenburgico* producto, adparet.

✠

✠

✠

D 2

Wir

S R Gunt her von Gottes
 Gnaden / Römischer König zu
 aller Zithe eyn Mehrer des Heilts
 gen Reichs bekennen vffentlich an
 disme Briue / datz wir haben ges
 hensin vndt heytz in vnse Land
 Hulden vnser lieben Swegern
 Henriche / Ditheriche / Berharde unde Ulrich Graf
 fin zu Honstein vnd antworten en datz zu getruer
 Hand / dasz Sy dem getruwelich vor Sin sullen unde
 vnser Erben / ab wir abegingen / datz G. Ott wende /
 bitz datz Sy datz selbir versten können. Vnde bysun
 dern setzen Wir vndt antworten en Blanckenbergk
 dy Huszer beyde met der Stadt / datz Sie dar anwar
 ten sullen eris Geylde / datz Sie Bus gewonnen ha
 bin / noch gewinnen odir bitz datz Sie Bus odir vn
 ser Erben mögeliich Rechnunge bewißen odir bere
 chene mögen / Das geben Wir en vnde in Erben zu
 Orkunde vnde Gewißenheit dießin Briff met unßme
 Königlichen Ingesigel vorsigilt / der gegeben ist zu
 Franckenforth / als man zelt nach Gotis Geborth
 Driitzenhundert Jar in dem Nün unde Vierzigsten
 Jare an St. Gregorii Tage. In dem ersten Jare
 unßes Reiches.

(L. S.)

CA-

CAPUT QUINTUM.

De transactione inter Guntherum & Carolum super Imperii administratione factâ.

I.

CUM Imperator Guntherus cum victore exercitu Francofurtum rediisset, levi morbo correptus est. Erat autem tùm insignis medicus *Fridangus*, Comitibus *de Nassau* antiquâ familiaritate junctus, qui, cum Gunthero potionem, quam mirum in modum laudavit & expedire adseruit, porrigeret, Guntherus medicum prægustare jussit, qui etsi invitus faceret, gustavit tamen, reliquum Guntherus ebibit. Medicus statim faciem mutans in colore, in terram prostratus tertio die moritur. Guntherus vomitu, quantum potuit, venenum ejecit, sed non usque quaque: Reliquiæ enim corpus Regis inflabant, & ferè inutilem ad arma tractanda reddebant. Ferebatur autem, famulus medici, jussu Caroli, (ut scribit *Cuspinianus*) vel quorundam Magnatum pecuniâ corruptus, ut *Henricus Pantaleon* refert, venenum potioni miscuisse. Convocavit autem Carolus mense Majo exercitum in Moguntiam. Moguntini enim in odium Henrici Archi-Episcopi, qui eos læserat, & Francofordiensium, à quibus Rex Carolus nundinas abstulerat, eosque Moguntinis tradiderat, Regem supplices orant, ut oppidum, (alii arcem vocant,) *Altamvillam*, ab Episcopo super Rheno constructum deiciat, quod Guntherus intelligens, etsi infirmus esset, se cum milite suo ad Henricum Episcopum in *Altamvillam* (*Altevill*) illicò recepit. Transeunte autem Carolô Rhenum, ducenti Equites Guntheri cum impetu Carolum in

D 3

fugam

fugam conjiciunt ; nisi etiam *Eberhardi* Comitis de Würtemberg equites celeriter Carolum subsequuti fuissent, eumque ex periculo liberassent, hoc die de ipsius salute actum fuisset. Quam ob rem Carolus ex eis plures equites, quos vulgò auratos milites dicimus, creavit.

